

mus credulum piscem implicat, sed non aliter, quàm si escam præferat: sic malorum vitia, sub obtentu voluptatis sequaces animas trahunt. Quis enim nisi spe aliqua, velut esca illectus, ad peccandum gratis accederet? Sed, heu, quàm facilis & quàm brevis: Quantarumque miseriarum causa? Idem, Tum demum beatum futurum terrarum orbem ait, cum aut Regnum sapientibus, aut sapientia regnantibus obuenerit. Idem, ait, similes esse ciues qui de Reipub. & nautas qui de gubernaculi administratione contenderent: Apta quidem comparatio: utrobique enim labor appetitur. Quod cum in nautis nunquam aut raro visum sit admirari mens non sufficit, vnde hæc in vrbibus digladiantur inter sese ciuium quotidiana dissensio, ob hoc vnum, quia vnus quisque periculosum & difficile Reipub. regimen festinat inuadere, & ab eodem reliquos arcere: Quòd eò indignius videri debet, quia sententiarum opinionumque diuersitas ac libertas animorum in consiliis, non satis sufficiens inimicitiarum causa est. Eodem Philo-
sopho dicente: eos pro hostibus habendos, qui arma contra nos ferant, non qui